

ci non potest, quantum faciant ad solidam viâ compendiariâ comparandam eruditionem. Ego annitar, Deo benedicente, ut singulæ artes hâc ipsâ adornentur methodo; quod ut fieri possit, Dei auxilium imploro, Tuæ Generositatis tutelam mihi exopto, aliorum preces & labores requiro. Interea temporis T. G. habeat hunc veluti prodromum grandioris operæ quam scribere, & Tuæ Generositati inscribere stat sententia. In Critico autem conatus sum conciliare tres nobilissimas hujus seculi sectas in Philosophicis, ac nominatim Logicis. Traditur ibi methodus differendi de omni scibili; ita ut studiosus hâc harmoniâ & linguæ latinæ exactâ cognitione instructus parum desiderare possit ad inventionis ἀποδείξιν, & iudicii perfectionem. Talis est hujus scripti unculæ finis, talis ejus modus. Accipe igitur hoc, quicquid est, laboris, Inclyte Heros, benevolo, quo hæc talia soles, animo, & deinceps me benignè fovere tuo favore perge, ut ita aura favoris tui educet plantam tenellam, quæ in meo solo posita adhuc quidem, sed aliquando fructum suum latius diffundet, Deo volente, & T. G. iuvante. Deum